

Theodericus LXXIII^{us}

Domino Johanne de Vyenna ad eccle-
siam Basiliensem translato de ecclesia
Wormacia ad cathedram episcopalem
Metensem venit translatus nobilis vir
dominus Theodericus de Bopardia, an-
no Domini 1365, episcopus Metensis
73. Hic ex nobili prosapia nobilium
qui Bavari nominantur de Bopardia
natus cuius progenitores ex utroque
parente ceteris nobilibus probiores repu-
tabantur, domum regiam tenentes mire
pulcritudinis, magnitudinis et forti-
tudinis extra muros oppidi Bopardiensis,
quam parentes eius ab imperio in feodum
tenuerunt, a principibus imperii singu-
lariter dilecti. Unde sicut ceteris
probiores dicebantur, sic et hunc filium
adhuc puerum ad probitatem et morum
honestatem inducere conabantur, pro-
eo mittentes eum in Leodium, litteris
et moribus ac gallico inbuendum;
ut videtur non sine fato, eo quod pro-
videntia divina suo tempore Metensi
ecclesie praeesse deberet in Gallia, ubi
haec duo currunt ydeomata: gallicum
et theuthonicum. Sicque extra domum
paternam est nutritus, velud alter
Moses, multorum oppressorum liberator
futurus, quod rei eventus comprobant,
inprimis dum ecclesiam Wormaciensem
salubriter gubernavit. Sic igitur